



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Peccato proximum esse, si non est in peccato, quisquis eiuscemodi  
iudicijs vult, peccatum in altero, sint justa causa, vindicari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

## IX.

Senec. ad  
Martiam c.  
6.

Quid si multos idcirco ad extrema adducit malus sathan, vt ad impatientiam atque vindictam adducat? vicit, si impatientes fecit. deiecit, si in vindictam incendit. habet, quod vult, si tu iram tuam ampliùs in potestate non habes. At turpis est nauigij rector, inquit Seneca, cui gubernacula fluctus eripuit; qui fluctuantia vela deseruit, & permisit tempestati nauem: at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare, clauum tenentem, & obnixum. Clauus est recta ratio, quæ impatientis animi impetum & fluctus reprime- re debet. Non reprimit autem, si, iniuriarum ac mortis impatien- tiâ, extremum iudicij diem præuenire gestiens, eousque præstolari detrectat, donec vltro Deus, de iniurijs eius vindictam sumat; quasi scilicet æquo tardior esset ad iudicandum. Hi, si sinum excu- tere penitiùs vellent, viderent profectò, non laudabili causa. non diuini honoris aut iustitiæ zelo, se alios iubere, in ius ambulare; sed priuata vindictæ cupiditate occupatos, atque in præceptos actos, præreptam sibi, in hac vita, iniuriarum vltionem, in alterius vitæ tribunali quærere, eamque, nimis incenso animo, affectare, eaque propter etiam intemperanter flagitare. Non est res exigui momen- ti, eiusmodi actionem instituere. Qui alterum vadatur, ac in ius diuinum vocat, mortem illius desiderat, sine qua se sistere non po- test. At mortem alterius, priuata autoritate, desiderare, non mi- nùs illicitum est, atque procurare. Videant igitur, quid agant, qui, sine Numinis iussu, aut instinctu, sine autoritate debita, pro- prio iudicio, affectu, odio, fortasse ipsi nocentiores, alterum, à quo se læsos esse somniant, aut putant, vita optant, immo postulant à Deo spoliari. Neque digni sunt tales rogatores, vt exaudiantur; immo digni sunt, vt ipsi in iudicium eant, quod alijs volunt præ- parare.

## X.

Psal. 38. 8.

Hebr. 10. 27

Sapientissimè faciunt, qui in patientia sua animas suas possidere docti, in omni casu, & tribulatione, dicunt: *Et nunc que est expectatio mea? nonne Dominus?* Meum est remittere iniurias, Domini autem & remittentem, & inferentem iudicare; à quo, etiam me vindictam non petente, parata est, *terribilis quadam ex- pectatio iudicij, & ignis emulatio, que consumtura est aduersarios.* Hanc etsi petere non debemus, possunt tamen meritò formidare, qui, cum omnia audeant, se, quia grauissimè violatos tacere vident, illico securos arbitrantur. Tacuit & Abel, neque ad diuinum tri- bunal fratrem citauit, cum ab eo crudelissimè innocens trucidare-

tur;